

De Septem Aeschylea.

Si canticum aliquod choreutae singillatim cecinerunt, profecto in Thebanae fabulae parodo id factum esse consentaneum est. verum ubi dei invocantur omnes ut respiciant *παρθένων ἰκέσιον λόγον*, hos versus non una virgo sed chorus cantat universus aut ut aliquid largiar dimidiatus. iam ab initio cantici ad eum locum quem non convenit nisi a multitudine pronuntiari, si numero sententias solutas et dissitas ita ut suo quaeque ambitu contineatur neque conligata dissecentur verba nec separata aut alieno auxilio non egentia conglomerentur, eundem numerum invenio quo chori tragici personas Sophocles constituisse traditur. qua re non dubito quin sententias quindecim totidem recitaverint choreutae.

- | | | |
|----|----------|---|
| | <i>A</i> | <i>πολύπονα] θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.</i> |
| | <i>B</i> | <i>μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών.</i> |
| 80 | <i>Γ</i> | <i>ῥεῖ πολὺς ὄδε λεῶς πρόδρομος ἰππότης.</i> |
| | <i>Δ</i> | <i>αἰθερία κόης με πείθει φανεῖσ'
ἀνανδὸς σαφῆς ἔνυμος ἄγγελος.</i> |
| | <i>E</i> | <i>ἔχει γὰς ἐμᾶς πεδί' ὀπλῶν κτύπος,
ποιχοῖμπεται, ποτᾶται, βρέμει δ'
ἀμαχέτον δίκαν ὕδατος ὀροτύπον.</i> |
| | <i>E</i> | <i>ὦ ὦ θεοὶ θεαὶ τ' ὀρόμενον
κακὸν ἀλεύσατε.</i> |
| | <i>Z</i> | <i>βοᾷ ὑπερτρέχων
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
τρεπῆ ἐπὶ πτόλιν διώκων [πόδα.</i> |
| 90 | <i>H</i> | <i>τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεῶν;</i> |

- Θ πότερα δῆτ' ἐγὼ [πάτρια] ποιπέσω
βρέτη δαιμόνων;
- I ἰὼ μάκαρες εὐεδροί, ἀκμὰ βρετέων
ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστονοι;
- IA ἀκούειτ' ἢ οὐκ ἀκούειτ' ἀσπίδων κτύπον;
- IB πέπλων καὶ στεφάνων
εἰ μὴ νῦν, πότ' ἀμφιλίταν' ἔξομεν;
- II κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ' ἐνὸς δορός.
- 100 IA τί ῥέξεις; προδώσεις, παλαίχθων Ἄρης, γᾶν;
- IE ὃ χροσοπήληξ δαίμων, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν
τεὰν ἂν ποτ' ἐυφιλήταν ἔθου.

nolo artificium mixturamque compositionis explanare pluribus nec de ζυγοῖς disceptare cum Hermanno aut de λαιροσάταις: tres vides quinquorū dīctorū ordines gratissima varietate distinctos, velut in primo tria prima numeris, in altero primum et quintum verbis consonant, in tertio primum et tertium iterantur simul aptumque universō carmini corollarium accipiunt per extremum. versu 88 quod posui ἔπετρορέχων, nihil me habuisse melius scito: opus est vocabulo ad quod βοᾶ commode referri possit, aut fallor aut potuit dici peditum agmen, ad quos ab equitatu et equis oratio devenit, pedum celeritatem antevertere clamore.

Proxima mihi responsionis antistrophicae legibus adstricta videntur. nam cum iambicum versum 111 ἄρηξον δαῖτων ἄλωσιν tetrapodia logaodica excipiat et interiectis viginti syllabis rursus iambici illi numeri consequantur, item iambo 126 φύλαξον κιλ. tetrapodia logaodica vigintique in codice syllabis interiectis rursus eiusdem modi iambo excipiant, numquis has saltem particulas 110—115 et 125—130 inter se respondere audebit negare? praecedunt utrobique dochmiaca metra et septena quidem quam integerrima, syllabae quas superior locus inferiore plures habet quinque vel quattuor tam paucae sunt ut ne unius quidem metri discrimen faciant, consulto enim numerorum usu monstrata aut adeo extantia in libris corruptelae vestigia praetermitto, externam ut urgeam similitudinis speciem. pares igitur fuere versiculi 104—109 et 120—124, θεοὶ πολίοχοι — Ἄρης ὄρμενον et σύ τ' ὦ Διογενές — ἐπίλων διδου. denique subiunguntur utrobique 116 et 131 dochmii quaterni clausulaeque iambicae, sex sane syllabae desunt alteri loco comparato cum altero, sed quoniam septem duces portae septimae adsistere sortito dicuntur perversissime et aliquid corrigi necesse est, sani homo iudicii non mutabit verba et metro aptissima neque sententiae incommoda, verum his servatis

corrigendi necessitati ita parebit ut addat quod deest ad integritatem sententiae, simul ad numerorum aequabilitatem. ergo 110—115 et 125—130 evincunt, 104—109 et 120—124 confirmant, 116—118 et 131—134 nulla ratione infringunt carminum responsionem. quae ad hunc modum restituenda censeo :

στρ.	θεοὶ πολίοχοι χθρονὸς ἴθ' ἀθρόοι,	ἀντιστ. σὺ τ' ᾧ Λιογενὲς φιλόμαχον κράτος
105	ἴδετε παρθέτων ἐκέσιον λόχον δουλοσίνας ὑπερ· κῦμα περὶ πτόλιν δοχμολόφων ἀνδρῶν	121 ἑρσίπολις γενοῦ Παλλάς, ὃ θ' ἔπιπος ποντομέδων ἄναξ ἰχθυβόλω μάχα Ποσειδᾶν [δέων ἐπίλυσον φόνων, ἐπίλυσον δίδου.
110	ἀλλ' ᾧ Ζεῦ πάτερ πάντων παντελέες, ἄρηξον δαΐων ἄλωσιν. Ἄργεῖοι δὲ πόλισμα Κάδμου κυκλοῦνται, φόβος δ' ἀρειῶν ὄπλων, διὰ δέ τοι γενῶν [ἄφρατον] ἱπιῶν	125 σὺ τ' Ἄρης πόλιν Κάδμου ἐπώνυμον φύλαξον κήδεσάι τ' ἔναργῶς. καὶ Κ' πρις, ἄτε γένους προμάταρ, ἄλευσον, σέθεν γὰρ ἔξ αἵματος γεγόναιμεν, λιπαῖσὶ σε θεοκλήτους
115	μινύρονται φόνον χαλινοί. ἔπιτ' ᾧ ἀγήνορες πρόποντες στρατοῦ δορυσσοῖς σάγαις πάλαις ἐβδόμαις [ἕκαστος λόχον ἀνδροπληθῆ]	130 ἀντοῦσαι πελαζόμεσθα. καὶ οὐ Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ στρατοῦ δαΐω στόνων αἴτιος, σὺ τ' ᾧ Λαιογένεια κοῦρα,
118	προσίστανται πάλω λαχόντες.	134 πρὸς ἔχθρονος] τόξον εὐτυκάξου.

par stropharum fortasse etiam scholia antiqua indicant in quibus ad primum utriusque versum de choro et numeris aliquid adnotatum legimus. septem deorum auxilium virgines implorant, unius ac maximi in strophā, in antistropho coniugatorum ex sacris Atticis Thebanisque fabulis Minervae et Neptuni, Martis et Veneris, Apollinis et Dianae. incerta multa sunt, non solum supplementa quae cum multifariam variari possint, nihil aliud quam adumbrant pristinam sententiam neque quid poeta scripserit sed nos qualia desideremus declarant, verum etiam quae tradita sunt in codice aut aliorum coniecturis ita mutata ut partem veri agnoscam, velut v. 104 ἀθρόοι ἴδετε Aeschylum coniunxisse cum hiatu nego, adiectivum tamen illud pro πάντες bene substitutum arbitror. v. 123 Neptunum precantur ut propugnet pro Thebanis Argivos tanquam pisces καταιγίδην συφελίζων αἰχμῇ τριγλώχινι itaque hostiles caedes dissolvat ac finiat. gravi interpolatione turbatus est v. 125 Ἄρης φεῦ φεῦ | ἐπώνυμον Κάδμου | πόλιν quem praestat fortasse sic in ordinem redigere ut alter dochmius fiat Καδμείαν πόλιν. v. 132 leni mutatione ex ἀντιᾶς feci αἴτιος vocabulum carminibus non minus quam solutae orationi conveniens quod Hesychius interpretatur ποιητῆς κίσιος. proximum versum logaedicum non attrectavi ut

qui exitum strophae bene praeparare numerosque supra immixtos suaviter resonare videretur. huic igitur accommodavi strophicum aliquem, ex strophico autem 118 pedem bacchiacum in antistrophon adsumpsi non modo metri sed etiam sententiae redintegrandae gratia cui ne tale quidem dictum sufficit *τεὸν νῦν τόξον εὐνυκάζου*, immo enim victoriae Thebanae aut Argivae cladis signum armis deae imponi oportuit.

Sequitur ea pars in qua neque carminum responsio quidquam habet dubitationis et pleraque recte tradita leguntur:

σιρ.	ἔ ἔ ἔ ἔ		ἀντιστρ. ἔ ἔ ἔ ἔ
136	ὄθρον ἀρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω.		ἀκροβόλων ἐπάλλξων λιθάς ἔργεται.
	ὦ πότν' Ἥρα, ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χροῖαι. Ἄρτεμι φίλα,		145 ὦ φίλ' Ἀπολλον, κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.
140	δορταίναιτος αἰθήρ ἐπιμαίνεται. τί πόλις ἄμμι πάσχει; τί γενή- σεται;		παῖ Διός, ὄθεν πολεμόκραντον ἀγνὸν τέλος ἐν μάχῃ, σύ τε, μάκαρ' ἄνασσ' Ὀγκα, ἄκρον πόλειως
	ποῖ δ' ἔυ. τέλος ἐπάγει θεός;		150 ἐπάπυλον ἔδος ἐπιρροῦν.

hic et illic di bini, hic mulierum patronae, illic praesides belli invocantur. versu 147 καὶ Διόθεν codex, inter Apollinem et Minervam nulli alii deo locum fuisse confirmat scholiasta. unde παῖ olim coniecimus Westphalus et ego, nunc tandem totum versiculum mihi restituisse videor, pugnae decretoriae victoriam exitumque purum dat Apollo Διόπαις Βοηδρόμιος Παιῖν Φοῖβος. multo minus certam habeo versus 149 emendationem, in quo προπόλειως codex tradidit alique vel abstrusa reposuerunt vel parum congruentia cum strophae numeris. interpolatam δὲ particulam v. 140 metri corruptela arguit, tanto nequior illa in prima antistropho recentique lamentatione collocata. ceterum cum ad Argivorum descriptionem stropa pertineat, in antistropho Thebani memorantur et saxa in hostem iaculantes ex propugnaculis et in portis densantes agmina clipeata, ut confestim decertaturos scias: Hermannus hos versus ceteris rectius exposuit, tamen v. 146 cum ad pugnam rettulit cominus consortam, post futura anticipavit. iam ultimum belli discrimen adpropinquat, iam maximo nisu et longissimo spiritu virgines volvunt numeros precesque supremas ac potentissimas 151—162.

De versu 144 quod modo dixi, eo moneor ut etiam 281 breviter perstringam. τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους πανδημεὶ πανομίλει

στείχουσιν· τί γένωμαι; τοὶ δ' ἐπ' ἀμφιβόλοισιν ἰάπτονται πολίταις
 χερμάδ' ὀκροῦσσαν. ergo eorum qui nullo excepto aut relicto ad
 turres subeunt, tamen aliqua superest pars? ridicule mehercule his
 verbis facta est hostilis exercitus partitio. tum ἀμφίβολοι quo iure
 dicuntur propugnaculis ac moenibus tecti cives ad quos vereor ne
 nulla via una lapidum ictus perveniant? corrige sodes πολῖται, hi
 de muris saxa mittunt defendentes hostem, hostis muros prae-
 cingens ἀμφίβολος est a dextra et sinistra petitus missilibus. ac ne
 dubites adsentiri corrigenti, inspice antistrophon in qua pariter
 Aeschylus contraria fecit τοῖσι μὲν ἕξω πύργων et τοῖςδε πολίταις.
 in hoc stasimo Hermannus aliique plura depravarunt quam emen-
 darunt, quem in numerum ego non committam ut ipse quoque
 adscribar. sed tamen nequeo mihi temperare quin pulcerrimam et
 Aeschyleae granditatis sententiam quia neque recte explicatam et
 mala interpunctione discissam video, paucis verbis enarrem. 344
 δμῳίδες δὲ καινοπήμονες νέαι, ταῖσιν (hoc librarius corrupit in
 πλήμονες) εἰνὰν αἰχμάλωτον ἀνδρὸς εὐτυχοῦντος ὡς δυσμενοῦς ὑπερ-
 τέρου ἐλπίς ἔστι νυκτερὸν τέλος μολεῖν παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίρρο-
 θον. superius chorus dolorem quendam erat miseratus θάλαμη-
 πύλων id est matronarum natuque maiorum mulierum, iam factum
 deplorat virginum ac puellarum quibus servitus novas et insigni-
 tas aerumnas iusque hastae captivis vinculorum iugalium iniurias
 parat. his enim alia spes nulla est nisi hominis felicis ac felici-
 tate superbiter gesticentis, hostis enim est et victor et triumphator,
 huius hominis concubitus sibi venturum nocturnum tristissimorum
 laborum finem eumque non requiem aut levamen sed augmentum
 lacrimarum et cumulum. vix est credibile et tamen verum fuisse
 non solum qui gravissimum eius descriptionis vocabulum νέαι tol-
 lerent, quasi vero vetulae aequae cupide ac iuvenes ab hoste deli-
 gantur ad venerem aut aequae insuetae sint iugi ferendi, sed etiam
 νύκτερον τέλος qui interpretarentur mortem apertissima verba in-
 volventes tenebris. immerito vexarunt trochaeis insertum εἰνὰν,
 etsi enim purum trochaicum stropha exhibet, praepropere illa
 damnatur permutandorum pedum libertas qua in iambis poeta
 735 σπείρας ἄρουραν ἐν' ἐτράφη et 743 μεταξὺ δ' ἀλλὰ δι' ὀλίγον
 alternavit. non satis ceperunt ἀνδρα εὐτυχοῦντα quamvis ab ipso
 poeta clarissime designatum, nimirum ut lux et umbra, ita secunda
 ac laeta victoris et misera ac lacrimabilis captivae fortuna cogun-
 tur copulanturque dissociatae natura. inepte intercidunt quae ar-
 tissime cohaerent τέλος ἀλγέων, denique mirifice ἐπίρροθον ἀλγέων
 sibi persuadent vocari quo aerumnae minuantur et decrescant, de-

cepti opinor notionum quadam confusione dum idem putant quod mala iuuet et quod in malis. cubile nocturnum cum dicitur adsiduis fletibus adstrepens, non potest intellegi nisi his quod adsonet tanquam echo et obsecundet et inserviat, *ἐπίροθος* malorum qui fit, contumeliam facit et insultat.

Tetigi locum alterius stasimi quo urbs pressa obsidione comparatur cum nave periclitanti in mari: 739 *κακῶν δ' ὥσπερ θάλασσα κῦμ' ἄγει, τὸ μὲν πίπνον, ἄλλο δ' ἀείρει τριχάλον ὃ καὶ περὶ πρύμναν πόλεως καχλάζει· μεταξὺ δ' ἀλκά δι' ὀλίγον τείνει πύργος ἐν εὐρεί.* extremum hoc quod scholiasta exponit *ἐν πλάτει, ἐν μετακίμῳ*, frigidissime aut turpissime additum Hermannō videbatur eiusque auctoritatem non pauci secuti sunt, contra ego vastitatem fluctuum maris et belli perbene ita declarari sentio, requiro autem huic quae respondeat munimentorum tenuitatem et infirmitatem, *τυτθὸν γὰρ ὑπὲκ θανάτοιο φέρονται* ut Homerus ait vel ut Anacharsis cum nautā quattuor digitis navem disiunctam ab aqua dixisset *ποσοῦτον καὶ τοῦ θανάτου.* nonne scribendum est *στείνει πύργος ἐν εὐρεί?* angusto spatio conclusa urguntur moenia urbis in lato campi aequore. Hesychius *στείνει· δυσπαθεῖ στενοχωρεῖται* et *σάνει. τείνεται* (immo *σιένεται*) *συμβέβυσται.* strophicum versum ne mihi opponas, *πατροκτόνον Οἰδιπόδαν ὅτε ματρὸς ἀγνὰν σπείρας ἄρουράν ἦν' ἐτράφη, ῥίζαν αἰματόεσσαν ἔπλα,* haec si vere tradita existimas, nihilo difficilius erit credere metri necessitate commotum poetam ut *ξείνος* et *καταπνεῖει* alias sic in hoc cantico Homericam et ionicam adhibuisse formam *στείνει.* utique contra latitudinem Aeschylus mihi videtur angustias posuisse similiter atque Homerus in illis *αἰγὰ κε τοὶ τὰ θύρετρα καὶ εὐρέα περ μάλ' ἐόντα φεύγοντα σείνοιο* vel Plato legum p. 737 A *ἄλλη οὐκ ἔσαν οὐτ' εὐρέα οὔτε στενὴ διαφυγῆ.* auguror fore quibus magis placeat *σεινὰ* relatum ad *ἀλκά*, ego asperiora non censeo complananda. ad obsidionem vero animis audientium insinuandam nullum verbum esse concinnius satis demonstrat huius fabulae versus 230 *στείνει πόλισμα γῆθεν ὡς κυκλομένων.* continuatur navalis illa comparatio etiam insequenti stropha. nam postquam chorus timere se dixit ne cum regibus urbs dometur, constitutum enim esse finem quo veteres dirae graviter solvantur (non curo equidem scholiastam eiusque adseculas qui *καταλλαγὰς* prave detorquent ad fratrum reconciliationem), ita pergit: *τὰ δ' ὀλοὰ πελομεν' οὐςπαρέρχεται, πρόφρονινα δ' ἐκβολὰν φέρει ἀνδρῶν ἀλγηστῶν ὄλβος ἄγαν παχυνθεῖς.* et hoc patet, *βαρείας καταλλαγὰς* copiosius tractari variarique ita ut alii funditus perire narrentur, alii non exitiabili sterni clade, et illud,

eici in altum eversa rate mersaque opulentos et inmodica fortuna tumefactos homines. de numeris versus corrupti dubitatio nulla est, quamquam ne antistrophicus quidem caret vitio. hunc sic lego cum Weilio *τὴν ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν φίλοι καὶ ξυνέσσοι πόλεος ὁ πολὺβατός τ' ἀγῶν βροτῶν* ut amicis Oedipi et civibus adgregetur advenarum turba confluentium Thebas ad *πανηγύρεις*. certe nemo negabit restituendos iambos esse neque ullam syllabam eis quas e codice transcripsi detrahendam. unam muta litterulam *τὰ δ' ὀλοὰ πενομένους παρέργεται* et habes contrarios *ἀνδράσιν ἀλφισταῖς ὀλβίοις παχέσιν*, habes quos perniciēs maxime cum navigarent credita sit praeterire vertens in locupletes. Plautus in Trinummo v. 828 de Neptuno *atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam . . . pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare*: non multum abest quin Aeschyli canticum recordatum arbitrer Philemonem.

Tollo manum de tabula. glossematis corruptum Aeschylum clamitant: est ita sane, ego vero nimio plura etiamnum relicta vidi menda nata. pristini exemplaris obscuritate, novissimi scribae oscitantia, erroribus oculorum ac stili, denique more volgari. utinam de meis aliquam emendationibus ita probaverim ut plures fiant qui hanc viam secuti reparare Aeschylum velint quam qui transformant omnia attemptantes sana insana frivolasque cumulantes argutiolas.